



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint certantibus bona promissa. 49

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

quæ carnis sunt sapè imaginor. Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector. Quæcumque enim diligo, de his libenter loquor & audio, atque talium imagines mecum ad domum reporto. Sed beatus illè homo, qui propter te Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit: qui naturæ vim facit, & concupiscentias carnis feruore spiritus crucifigit: vt serenata conscientia, puram tibi orationem offerat, dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris & intus exclusis.

Mat. 19

CAP. XLIX.

De desiderio eterna vite, & quanta sint certantibus bona promissa.

Flli, † cùm tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundis, & de tabernaculo corporis exire concupiscis, vt claritatem meam sine vicissitudinis vmbra contemplari possis: dilata cor tuum, & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe. Redde amplissimas supernæ bonitati gratias, quæ tecum sic dignanter agit,

K 6

cle-

clementer visitat, ardentem excitat, potenter subleuat, ne proprio pondere ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitatu tuo, aut conatu accipis, sed sola dignatione supernæ gratiæ & diuini adspæctus: quatenus in virtutibus & maiori humilitate proficias, & ad futura certamina te præpares, mihi que toto cordis affectu adhærere, ac feruenti voluntate studeas deseruire.

2 Fili, sæpè ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit. Sic & aliquorum desideria ad cælestia flagrant, & tamen à tentatione carnalis affectus liberi non sunt. Idcirco nec omninò purè pro honore Dei agunt, quòd tam desideranter ab eo petunt. Tale est & tuum sæpè desiderium, quod insinuasti fore tam importunum. Non enim est hoc purum & perfectum, quod propria commoditate est infectum.

3 Pete, non quod tibi est delectabile & commodum, sed quod mihi est acceptabile atque honorificum: quia si rectè iudicas, meam ordinationem, tuo desiderio & omni desiderato, præferre debes ac sequi. Noui desiderium tuum, & frequentes gemitus audiui.

Iam

Iam velles esse in libertate gloriæ filiorum Dei : iam te delectat domus æterna & cælestis patria gaudio plena , sed nondum venit hora ista : sed est adhuc *Iob 7.* aliud tempus scilicet tempus belli, tempus laboris & probationis . Optas summo repleti bono , sed non potes hoc assequi modò . Ego sum : expecta me (dicit Dominus) donec veniat regnum Dei.

4 Probandus es adhuc in terris, & in multis exercitandus . Consolatio tibi interdum dabitur , sed copiosa satietas non concedetur. Confortare igitur, & *Iosue 1.* esto robustus, tam in agendo quàm in patiando naturæ contraria . Oportet te *Eph. 4.* nouum induere hominem, & in alterum virum mutari . Oportet te sapè agere, quod non vis: & quod vis, oportet relinquere. Quod aliis placet, processum habebit : quod tibi placet, vltra non proficiet . Quod alij dicunt, audietur : quod tu dicis, pro nihilo computabitur . Petent alij, & accipient ; tu petes, nec impetrabis.

5 Erunt alij magni in ore hominum, de te autè tacebitur . Aliis hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil utilis iudi-

iudicaberis. Propter hoc natura quandoque contristabitur, & magnum, si filens portaueris. In his & similibus multis, probari solet fidelis Domini seruus: qualiter se abnegare, & in omnibus frangere quiuerit. Vix est aliquid tale, in quo tantundem mori indiges, sicut videre & pati, quæ voluntati tuæ aduersa sunt: maximè autem, cum disconuenientia, & quæ minùs vtilia tibi apparent, fieri iubentur. Et quia non audes resistere altiori potestati, sub dominio constitutus: ideò durum tibi videtur, ad nutum alterius ambulare, & omne proprium sentire, omittere.

6 Sed pensa fili, horum fructum laborum, celerem finem, atq; præmium nimis magnum: & non habebis inde grauamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. Nam & pro modica hac voluntate, quam nunc spontè deseris, habebis semper voluntatem tuam in cælis. Ibi quippe inuenies omne, quod volueris: omne, quod desiderare poteris. Ibi aderit tibi totius facultas boni, sine timore amittendi. Ibi voluntas tua vna semper tecum, nil cupiet extraneum vel priuatum. Ibi nullus resister
tibi,

tibi, nemo de te conqueretur, nemo
 impedit, nihil obuiabit: sed cuncta
 desiderata simul erunt presentia, to-
 rumque effectum tuum reficient, &
 adimplebunt usque ad summum. Ibi
 reddam gloriam, pro contumelia per-
 pessa: pallium laudis, pro mœrore: pro
 loco nouissimo, sedem regni in secula.
 Ibi apparebit fructus obediētiae, gau-
 debit labor pœnitentiæ, & humilis
 subiectio coronabitur gloriosè.

7 Nunc ergo inclina te humiliter,
 sub omniū manibus: nec sit tibi curæ,
 quis hoc dixerit vel iusserit. Sed hoc
 magnoperè curato, vt siue prælatus,
 seu iunior, aut æqualis, aliquid à te ex-
 poscerit vel innuerit, pro bono totum
 accipias, & syncera voluntate studeas
 adimplere. Quærat alius hoc, alius il-
 lud: gloriatur ille in illo, & iste in isto,
 laudeturque millies mille: tu autem
 nec in isto, nec in illo, sed in tui ipsius
 gaude contemptu, & in mei solius be-
 neplacito ac honore. Hoc optandum
 est tibi, vt siue per vitam, siue per mor-
 tem, Deus semper in te glorificetur.